



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//  
Canonicvm, Libri Qvatvor**

**Lancellotti, Giovanni Paolo**

**Basileae, 1566**

viiij. De Crimine falsi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

Si verò nusquam appareant illi, à quibus vsuræ acceptæ sint, cum tamen certum sit ab aliquibus fuisse acceptas, poterunt male ablata pauperibus diuidi<sup>a</sup>.

*a e. cdm tu. c. Michael.*

Verum ut iisdem ipsis potius, qui detrimentum passi sunt, reddatur, quam incertis distribuantur, quod certarum sit personarum: optimum erit publicis edictis pronuntiare in locis, à quorum incolis solutæ sunt, ut quisquis fœnoris nomine à se aliquid sciat ablatum, id veniat recepturus<sup>b</sup>.

*b gl. d. c. quam quæ. in uer. satisfieri.*

Fœneratoris quoque hæres poterit iisdem modis, quibus ipse fœnerator posset, si viueret, ad restituendas vsuras compelli<sup>c</sup>. Quinimo, si quis fœnerator à sede Apostolica literas impetrarit de vsuris sibi restituendis, vel fructibus sibi in sortem computandis, nulli ei commodo erunt literæ impetratæ, nisi prius restituerit vsuras, quas ab alijs noscitur abstulisse ipse<sup>d</sup>, vel auctor eius<sup>e</sup>.

*c tua nos.*

*d ea. quia frustra. e c. Michael.*

Si aliqui existant, qui procul dubio sint vsurarij manifesti, quamvis nec sint condemnati, nec contra eos propter potentiorum metum, qui eos tuetur, ullus accusator appareat, hi tamen, si alijs argumentis constiterit eos fœneratores esse manifestos, poterunt Lateranensis Concilij pœna puniri<sup>f</sup>.

*f e. cdm in tua Diœcesis. extra.*

Iudæi quoque ad restitutio-

nem vsurarum, quas à Christianis retulerunt, compelli possunt, interdicta eis Christianorum societate<sup>g</sup>.

*g c. pe. extra.*

Utque omnis occasio remoueat, qua contra supra dicta fœnus exerceri possit, statuit idem Gregorius, ne quis dominus, vel vniuersitas patiatur quempiam alienigenam in terris suis domos fœnori exercendo conducere, neve aliquis domos eis locet, pœna tam contra laicos, quam contra clericos, qui hæc fuerint præcepta transgressi, statuta<sup>h</sup>. Et Clemens V. Christianorum consortio interdictos esse iussit, quicumque super vsuris soluendis statuta ordinarint, fecerint, scripserint, vel dictarint, vel secundum ea statuta iudicarint, oneratque fœneratores omneis in causis de fœnore vertentibus rationum suarum libros aduersarijs proferre & exhibere.

*h c. 1. cod. lib. in 6.*

Item eos hæreticos esse decernit, qui asseuerare non dubitarint, minimè peccatum esse fœnerari<sup>i</sup>.

*i de. 1.*

In causis super vsuris, vel eas quoquo modo tangentibus procedi potest simpliciter & de plano, sine strepitu & figura iudicij<sup>k</sup>.

*k e. dispendio sam. de iudicij.*

## DE CRIMINE FALSI,

### TITVLVS VIII.

#### Crimen



**C**rimē quoque falsi magnū æstimatur; magnisq; pœnis vindicatur: nec id immeritò, quandoquidem non vnus hoc crimine læditur: nam Deus in primis, tum iudex, & is denique, aduersus quem falsum adstruitur, simul offenduntur<sup>a</sup>. Et quibúsnam modis falsum deprehendi possit in literis, quæ Romani Pontificis nomen præscriptum habent, disertè exposuit Innocentius III. Archiepiscopo & Canonicis Mediolanensibus<sup>b</sup>. Quatuor autem in primis sunt, quibus diligenter inspectis, non poterit falsitas vlla, si qua suberit, latere: nam aliquo infrà scriptorum quatuor falsitas ferè patrari solet: aut in diplomate, quo pro sigillo vtuntur Petri & Pauli Apostolorum imagines in cera impressas habente, quam bullá vulgò appellant, quæ funiculo appensa manet: aut in ipso funiculo committitur, qui per chartam plicatam traiectus bullam chartæ annectit: aut in charta ipsa, aut denique in literarū stylo deprehenditur<sup>c</sup>. Ex qua regula sic generaliter tradita, diligentissimus quisq; codicillos omnes Pontificios, quanti sint faciendi, facile diiudicare poterit, & ne singulis casibus explicandis moram traham, hos infrà scriptos breuiter retulisse sufficiat: nam literæ à summo Pótifice ad Patriarchas, Archi-

**A** episcopos, Episcopos scriptæ, quibus eos filios appellat, falsi crimine nō carent, quòd à stylo curiæ Romanæ abhorreant, sicut etiam è conuerso, quæ ab eodem Pótifice ad Reges, Principes, aliósvē cuiuscunque ordinis vel gradus missæ literæ alio, quàm filiorum nomine eos cōpellant<sup>d</sup>. Item vni scriptæ literæ eum plurium numero appellantes. Deprehendet etiam falsitatem perspicacissimus quisque, si animadvertert nonnunquam adulterinum sigillum codicillis appendi, vel funiculum veris literis detractum adulterinis apponi, vel chartam, in qua veræ literæ scriptæ fuerant, penitus abrafam, alia tenuissima charta alterius sententiæ literis conscripta tenacissimè conglutinari. Alij præterea sunt modi, quos ex Innocentiana Epistola colligere potestis<sup>e</sup>. Et demum, nemini fas est codicillos Apostolicos vel in tantulo puncto violare, nisi ei, cui id officij sit demandatum: quod si quis ausus fuerit, excommunicationi addictus erit, à qua præter Romanum Pontificem nemo eum poterit subleuare<sup>f</sup>.

Huius autem delicti pœna est in eum, qui falsitatis author extiterit, si laicus sit, vt Christianorum communitate interdicatur, non ipse modò, sed etiam ipsius in delicto adiutores, quavis etiam alieno ministerio ad

Q9

<sup>a</sup> c. 1. de crim. falsi.

<sup>b</sup> c. licet. ext. cod.

<sup>c</sup> e. quàm graui. in fi. & e. cum olim. in fi. de priuileg.

<sup>d</sup> e. quàm graui.

<sup>e</sup> d. e. licet.

<sup>f</sup> Bernard. Diaz. ti. de crim. falsi.



id flagitij vsus sit, alteri fortè id fieri mandans: Clerici, verò officijs & beneficijs priuati, & ab ordinibus suis depositi, laicorum curiæ relinquuntur puniendi. At qui non ipsi falsum perfecerint, aut fieri mandarint, falsis tamen ab alijs fabricatis literis scientes vsi fuerint, si clerici sint, officijs & beneficijs spoliantur, laici excommunicatione devinciuntur<sup>a</sup>.

<sup>a</sup> c. ad falsariorum.

Aliorum verò iudicum, siue à sede Apostolica datorum, siue alterius generis literas adulterantes, vel quæ ex Cancellaria, vel à Pœnitentiario Papæ proficiuntur, qua pœna affici debeât, ex alijs locis perendū est<sup>b</sup>: sicut etiam, qui falsum sigillū alicuius supposuerit, vel falsam monetam cuderit<sup>c</sup>: & æs, aurum, argentum, Alchymistica fecerit<sup>d</sup>.

<sup>b</sup> Socin. c. ad falsariorū.

<sup>c</sup> c. ad audientiam, extra.

<sup>d</sup> in extrauag. un. Ioan.

<sup>e</sup> c. si in extrauag. com.

## DE DIVERSIS delictis,

### TITVLVS IX.

Vnt & alia crimina, præter suprà dicta, non minore animaduersione digna: vt ecce, Clericus contra Episcopi sui vitam, vel honorem, coniurationem machinatus, nec potis ad sanitatem vllō modo flecti, deponi potest, & in manibus secularium deserui puniendus<sup>e</sup>.

<sup>e</sup> Berr. de Di. 47. 60. tit.

Item maiestatis læsæ criminis obnoxius clericus, cuiuscumque ordinis sit, deponitur<sup>f</sup>.

<sup>f</sup> Idem Diaz. ubi suprà.

Homicidium quoque nemo ignorat crimen horrendum cœseri, tunc præsertim, cum neque fortuito, neque necessitate ad id impellente committitur, sed libera voluntate id suggerente: quod si à laico patratū sit Ecclesiasticæ ditioni subiecto, iudex eius Ecclesiasticus causam seculari iudici mandabit, vt ille iustitiam faciat<sup>g</sup>, ille secularibus legibus decretas pœnas in eum statuet: sin Clericus sit, deponetur, atque etiam si adiacentes crimini loci valde illud exaggerent, vt iam non videatur amplius dissimulanda, aut ferenda rei proterua temeritas, laicorum manibus, sacris ei ordinibus antè ablatis, plectendus dimitte-  
tur<sup>h</sup>.

<sup>g</sup> ea clericis ne cleri. uel mona.

Sed & furtum, id est, contra-ctatio rei alienæ invito domino lucri faciendi causa facta, non leuem irrogat auctori suo notam & pœnam. Clericus enim fur deponitur, & cum nullam correctionem admittit, excommunicatur, deinde contumacia crescente anathematis mucrone feritur: quod si adhuc in profundum malorum veniens contempserit, seculari potestati relinquitur, exilio, vel alia legitima pœna puniendus<sup>i</sup>.

<sup>h</sup> c. cū nō ab homine ubi. Doct. de iudic.

<sup>i</sup> c. cū non ab homine.

Adulterium quoque, id est, alieni